

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Lvdovici Venegas ... Mariale beatissimae virginis variis  
conceptibus moralibus illustratum**

**Venegas, Luis**

**Friburgi Brisgoiae, 1624**

Novus discursus circa eandem festiuitatem

[urn:nbn:de:bsz:31-160454](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160454)

tem Ioannem verò in nido deprædat-  
 us est, vbi in domo Domini tâquam  
 vnus ex domesticis & fidelioribus a-  
 micis destinatus est, nec tamé, etiam-  
 si jam vsu rationis valeret, materni  
 vteri nidum de reliquit, sed ibi ex di-  
 uina dispositione permansit, vt me-  
 liùs rebus diuinis instrueretur, ad eũ  
 modum, quo curiosi auicularum in-  
 structores efficere solent, cum auic-  
 ulas instruunt, in caueis enim iuxta  
 alias eiusdẽ speciei reponunt, vt sic  
 aliarum cantum meliùs imitentur.  
*Exultauit in gaudio infans in vtero meo.*  
 Sanctissimus Ioannes propter duo  
 in vtero materno exultauit. Primò,  
 quia à peccato originali liberatus fu-  
 it, nihil enim in mundo iucundius  
 excogitari potest, quàm pax & tran-  
 quillitas animi, quâ potitur homo,  
 cum à peccato liberatur: E contra in  
 peccatore nulla vera lætitia reperiri  
 potest, quia stimuli conscientie ita  
 vrgent, vt tanquam vultures viscera  
 arrodant ac deuaſtent, vt in Cain a-  
 pertum fuit, qui præ matore & tristi-  
 tia vix cælum intueri audebat, *Qua-  
 re concidit vultus tuus? Genes. 4.* Et id  
 apertè sibi accidisse testatur Prophe-  
 ta sanctus, cum in peccatis detinere-  
 tur. *Miser factus sum, & curuatus vs-  
 que in finem, tota die contristatus in-  
 grediebar. Psalm. 37.* Postèa verò cum  
 gratiam postularet, eam sub nomine  
 lætitiæ deprecabatur. *Redde mihi læ-  
 titiam salutaris tui. Psalm. 50.* Quia sola  
 gratia animam nostram quietat, &

verâ letitiâ replet. Secundò exulta-  
 uit in vtero, quia Deum nostrâ mor-  
 talitate indutum, quod tantoperè  
 propheta desiderabant, oculis diuino  
 Spiritu illustratis aspexit. *Abraham  
 exultauit vt videret diem meũ. Ioann. 8.*  
 Sed non sicut sanctus Baptista Incar-  
 nationis diem vidit; Iste enim per-  
 spicaci visu maternum etiam vterum  
 penetrans, corpus Christi in minima  
 & imperceptibili fermè quantitate  
 nituitus est. *Hic venit in testimonium,  
 vt testimonium per hiberet de lumine,  
 vt omnes crederent per illum. Ioann. ca-  
 pite 1.* Vt mediâ fide charitate infor-  
 mata, omnes credentes gratiam ac-  
 quiramus in præſenti, & gloriam in  
 futuro, quam mihi & vobis præſtare  
 dignetur Iesum Christus. Amen.



NOVVS DI-  
 scursus circa eandem  
 festiuitatem.



Va est ista qua ascendit si-  
 cut aurora consurgens,  
 pulchra vt luna, electa vt  
 Sol? &c. Cant. 6. Sapien-  
 tissimus Rex Salomon  
 hic ad litteram de Ecclesia loquitur,  
 sed in mystico sensu non incongruè  
 præ-

A 4

prædicta verba juxta sanctorum Patrum explicatione B. Virgini tanquã præcipuo membro Ecclesię in præsentii felicitate accommodari possunt. *Qua est ista qua ascendit quasi aurora consurgens?* Ac si apertius diceret. *Qua est ista pulcherrima virgo, quæ hodiernã luce per môtana ludæ tam celeriter ac venustè incedit? Quasi aurora consurgens?* Ad eum fermè modum conscendit, quo aurora progreditur, cū primo diluculo solis radios ac micantem splendorem prænunciat; aurorã enim aduētante, noctis tenebræ fugantur, & vicini solis aduentus apertis indicis demonstratur. Quis, inquit Bernardus, mirabiles lætissimę auroræ effectus, præcipuè cū verū tempus immet, nõ cõsiderat? omnes creaturæ illius jucundissimo aspectu reuiuiscunt, terrestria animalia exultant, & per colles ac valles cursitando internã hilaritatem manifestãt, auiculæ etiam garritu suauissimo aëra cõcrepãtes, modulorũ varietate suauissimum cõcentum excitãt, prata viuentia diuersis florib. decorata rident, ac odorum fragrãtiã omnium animos recreant & delectant, tandem omnes creaturæ auroræ gratulãtur. *Quasi aurora consurgens.* Ita sanè B. virgo cū montana ludæ conscendit, tanquam altera aurora fulgentissima, totum vniuersum nouo gaudio & tripudio impleuit, vt insinuauit Propheta Dauid. *Lætentur celi, & exultet terra. Psal. 95. Flumina plaudent manu, simul montes*

*exultabunt à conspectu Domini. Psal. 97.* Quibus verbis Propheta sanctus vniuersalem omnium creaturarum lætitiã ostendit. *Pulchra vt Luna.* Imò pulchrior lunã nuncupanda est: Quia nullo vnquam tempore in illa aliquale culpæ decrementum inuentũ est, sed gratiæ & virtutum maxima incremẽta, quib. omnes simul sanctos, ac beatos Angelos infinito quasi intervallo superauit. *Et rectè quidẽ illius pulchritudo lunæ comparatur;* Quia iste plãeta inter alios, terræ proximior est, ex cuius influentia variã utilitates plantis & arboribus accrescũt. Sic ex Beatiss. virgine, quia nobis proxima est, inter nos, & ex nostris nata, varia commoda, utilitates & maiora beneficia suã intercessione parata, singulis momentis experimur. *Electa vt Sol.* Sol inter ceteros planetas primatum tenet, & est quasi principium lucis, à quo reliqui illuminantur, illustrantur ac nouã lætitiã perfunduntur, idèd in medio eorum ab authore naturæ constitutus est, vt illius virtus & influentia ad omnes extendatur. In hæc etiam inferiora vis & efficacia solis derivatur, vt corpori effectus in lucem prodeant, quare meritò pater viuentium appellatur. Sic ergò B. Virgo, quæ solis iustitiæ mater extitit, tãquam sol fulgentissimus à Deo electa est, à quo tantã gratiæ lucem sortita fuit, vt inter omnes creaturas, & Dei opera primum locum sibi vendicans, in omnes suã pulchri-

pulchritudinis ac eximii splendoris radiis diffundat, medium etiam locum inter Deum & creaturas obtinet, quia, vt inquit Damascenus, supra se solū Deum habet & infra se quidquid non est Deus. De hac ergo pulcherrima & sanctissima Virgine ait nostrum Euangelium. *Exurgens abiit cum festinatione.* Communis sententia philosophorum est, quod si corpora caelestia non mouerentur, statim viuentium generationes cessarent, quia tunc sol, qui generationum pater est, immobilis persisteret. *Sol & homo generant hominem.* Sol est quasi terra maritus, illius namq; calore & influentiā terra fecundatur, vt maturos fructus producat. Inter alios titulos, qui propriis Beatissimæ Virgini attribui solent, vnus est, & maiori proprietate illi competens, cū cælum nuncupatur. Quia sicut cælum peregrinatum impressio inuincibilis est: Ita hoc empyreum ac crystallinum cælum, Maria nempe sanctissima, nihil terrenum admisit, à quo in gratia & amore distino retardaretur, vt semper sine termino cresceret. Et quemadmodum ex sententia Arist. 2. De gen. textu. 20. cælum ex natura sua non est in-  
corruptibile, sed solūm quasi ab extrinseco, quia contrario caret: Ita etiam hæc caelestis Angelorum Regina non erat ex propria natura impeccabilis, sed ex gratia diuina, à qua sanctificata fuit, eo modo, quo possibile erat, &

congruebat, vt purissima & mundissima habitatio Dei existeret. Et sicut cælum suo continuo motu terram fecundat: ita Maria sanctissima, quæ spirituale cælū est, suā intercessione terram nostram fecundat, animabus etenim nostris in necessitatibus præcipuè spiritualib. subsidia abundantissima præstat. Quemadmodum etiam potentia in præsentia suorum obiectoꝝ magis ad proprias operationes excitantur. V. g. visus in colorum præsentia, gustus, cū suauiores cibi proponuntur, auditus, cū concentus & musica percipitur; Et si hoc ita est, verum etiam erit pauperis miseriam, diuitis liberalitatem excitare. Quid ergo hodiernā luce cælum hoc splendidissimum per motum raptum ita festinanter per Iudææ montana duxit, nisi spiritualis Baptistæ necessitas? per culpam enim originalem ligatus Ioannes intra materna viscera detinebatur, idē Maria Sanctissima intra mundissimum vterum authorem gratia gestans, festinanter properat, vt per suam vocem, quā salutauit Elisabeth, tanquā per aquæ diuinæ ductum Baptista à culpa originali liberetur, & consequenter iustificetur. Exultauit in gaudio infans in vtero meo. *Luce capite 1.* Statim atque Baptista vocem Virginis audiuit, intra vterum exultauit. Fuit Sanctissima Maria quodammodo instrumentum con-  
iunctum Diuinitatis, quæ per la-

bia & salutationem Mariæ gratiam Joanni communicauit. Et quemadmodum cessante motu cœli, nulla generatio in his inferioribus exerceri potest: Ita similiter sine motu & uisitatione Beatiss. Virginis, quæ cœlum est perlucidum & crystallinum, anima Ioannis sterilis & sine gratiæ fructu permaneret; Olim cum Saul à malo spiritu vexabatur, David tollebat citharam, & percutiebat manu suâ, & resocillabatur Saul, & leuius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus. 1. Reg. cap. 16. Vbi factum hodiernum propriè explicatur. Nam Christus Redemptor noster & uerus Dauid hodiè aliam citharam longè præstantiorem tulit, nempe purissimam Virginem, & manu suâ percutiens, uerba salutationis suauissimè resonantia protulit, quibus peccatum originale Baptistæ, quod erat illius malus spiritus, fugauit. Et resocillabatur Saul. Tunc infans à peccati uinculis solutus, præ gaudio exultauit in utero materno. Exultauit in gaudio infans in utero meo. Authori huius gratias agens, & Virgini etiam tanquam instrumento, quo medio tantum bonum illi communicatum fuit. Hodiè verificatur id, quod Spiritus Sanctus nomine Beatiss. Virginis decantat Eccles. 24. Ego sicut aqua ductus exiui de paradiso: Dixi, rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum. O sanctissima & purissima Virgo, ex quonam

paradiso egressa es ad hortum plantationum irrigandum? Non ex alio planè quàm ex tui cubiculi & oratorii secretissimo silentio, ubi diuinis ac profundissimis contemplationibus circa mysterium Incarnationis detenta eras, ad uisitationem hodiernam egressa es. Ex hoc ergò silentii loco tanquam aquæ ductus, & aquæ crystallinæ fons perennis, & inexhaustus ad hortum, & illius plantas irrigandas oritur. Hortus iste sanctissima Elisabeth fuit, priores uerò plantæ pulcherrimæ, quæ diuinæ gratiæ pluuiâ floruerunt, potentis sanctissimi Baptistæ extiterunt; omnes enim cœlesti pluuiâ, quæ ex hoc fonte emanauit, illustratæ ac recreatæ fuerunt, quod apertè constat ex medicorum doctrina. Creatura enim dum est in matris utero, ab ea nutritur, alitur ac conseruatur, & ad illius motum mouetur: Cum ergò Beata Elisabeth uirgine eam salutate, Spiritu Sancto repleta fuerit, Baptista etiam ad motum ipsius, id est, nouam infusionem gratiæ exultauit in utero; Quia sanctissimi infantis intellectus fidei cognitione illustratus fuit, & illius uoluntas amore diuino inflammata, memoria diuinis beneficiis gratissima, ac illius anima gratiâ diuinâ decorata fuit. Quod in sensu mystico Beatissima Virgo his uerbis insinuauit. Inebriabo prati mei fructus. Mirabilis planè exaggeratio, quæ indicat se quodam modo

modò suum filium inebriasse, vt filius sua abundantia, charitate, & infinito amore sanctificatione Baptiste operaretur, ad quod præstandum Beatissima Virgo tam à proprio filio, quàm Spiritus Sancto edocta, montana Iudææ cum festinatione confecit, quia ad hoc venit lux vera, Christus scilicet in mundum, vt dissoluat opera diaboli atq; ipsum devastet & destruat, *Nunc princeps huius mundi eicietur foras. Ioannis 12.* Cuius sanctissima Maria verum instrumentum extitit. Mirandum tamen est, quod hodiè Beatissima Virgo, cum matris, vt inquit Ambrosius, nostræ vitæ exemplar sit, & omnium virtutum disciplina, orationem & contemplationem relinquat, vt hoc officium pietatis erga Ioannem exerceat, præcipuè cum mysterium Incarnationis, cuius profundissimâ meditatione tenebatur, inter omnia excellentissimum ac supremum sit, in cuius consideratione Spiritus Angelici, etiam superioris Hierarchie hærent & stupent. Mirari tamen desistemus, si perpendamus verissimâ doctrinam, quam virorum spiritualium animis firmiter affixam esse vellem. Qui enim oratione aut contemplationem omittit, vt necessitati spirituali proximi subueniat, non ideò Deum relinquit, cui per ardentem contemplationem inhærebat, sed tantùm exercitia & manus commutat, vt vtraque, & actiua &

contemplatiua vitæ præemineat. Ita Apostolus Paulus, qui suam conuersationem non in terra, sed in cœlo sitam esse asseuerabat. *Nostra conuersatio in cœlis est. Philip. 3.* Non ideò proximorū necessitates prætermittebat, imò ita se astrictum proximo fatebatur, vt assereret. *Cupio anathema esse pro fratribus meis. Rom. 9.* *Nam etsi Evangelizauero, non est mihi gloria 1. Cor. 9.* Moyses etiam cum in summitate montis Sinai colloquii diuinis detineretur, ex monte descendit, vt populi idolatriam impediret. Quod apertè illa mysteriosa Ezechielis animalia, quibus iusti repræsentabatur, iuxta communem sanctorū Patrum intelligentiam, indicârunt, quæ vndique cōtemplationis oculis plena erant, alas etiam habebant, vt ex terra volatu celeri diuinis considerationibus vsq; ad astra conscenderent. Notat tamen textus diuinus, sub illorum animalium alis duas hominis manus extitisse, quæ ipsas alas sustentabant. *Et manus hominis sub penis eorum in quatuor partibus. cap. 1. Ezech.* Quibus ostendebatur iustum primò in vita actiua & operibus charitatis exercendum, quibus contemplationis pennæ in altum erigantur. Nec existimandum est actiuam vitæ contemplatiuam impedire, sed potius iuuare, vt alæ contemplationis altius eleuetur idèd sub penis animalium manus hominis visebantur, quibus nitentantur alæ, vt constaret manifestè

contemplatiuam vitam actiuæ inni-  
titanquam fundamento. Animad-  
uersione tamen dignissimum est in  
uisione Ezechielis, quod manus, quæ  
sub sanctorum animalium alis existe-  
bant, non vrsi, leonis, aut lupi es-  
sent, sed hominis. Et manus hominis  
sub pennis eorum. Per manus sub alis  
existentes, opera charitatis contem-  
plationi coniuncta intelliguntur.  
Sunt aliqui qui cum D. Paulo con-  
templationibus ad tertium usque cæ-  
lum conscendunt, sed si eorum ma-  
nus attentè conspiciamus, non ho-  
minis, sed cati sunt, quibus proximi  
honorem & famam lacerant, & to-  
taliter auferunt, vel potius vrsi, aut  
tigridis, vnico enim aggressu paupe-  
rem & pusillum ad vltimas angusti-  
as redigunt. Quid de nostri sæculi  
mercatoribus proferam, qui sinistra  
rotarium gestant, & contemplati-  
nibus vacant dexterâ verò manu vl-  
nâ vtentes, toties emptores decipi-  
unt, quoties mensuram replicent.  
Manus istæ nō humanæ, sed leoninæ  
aut lupinæ sunt, & quantūcūq; in  
altum contemplationib. eleuentur,  
semper sanguine plenæ sunt, & sum-  
moperè Deo displicent, vt ipse per E-  
saïam his verbis apertè indicauit. Cū  
extenderitis manus vestras, avertam  
oculos meos à vobis: & cū multipli-  
caueritis orationem, non exaudiam:  
manus enim vestra sanguine plenæ sunt.  
cap. I. At Beatissima virgo contem-  
plationi, opera ardentissimæ chari-

tatis copulauit, idè ex suo oratorio,  
vbi diuinis considerationibus vaca-  
bat, in montana conscendit vt visi-  
taret Elisabeth. Abijt in montana cum  
festinatione. Admirandum planè ex-  
emplum ad cohibendam fæmina-  
rum libertatem, quæ in plateis de-  
morantur, & in publico cum viris  
turpes etiam sermones miscent, idè  
facilè suam honestatem prosterunt;  
vt contigit Thamar sorori Absolon,  
quæ à Principe Amon oppressa fuit.  
Maria verò sanctissima etiam per  
montana, vbi virorum conuersatio  
rata est, cum festinatione conscen-  
dit. Et si hoc à secularibus fæminis  
obseruandum est, potiori sanè iure à  
religiosis, quæ claustram ingrediun-  
tur, obseruari debet, mortuæ enim  
mundo, virorum conuersationem  
tanquam venenum mortiferum ef-  
fugere tenentur. Sed proh dolor a-  
liquæ inueniuntur, quæ in nouita-  
tu angelicam vitam ducebant, po-  
stea verò cū in virtute crescere de-  
berent, habenas vitæ religiosæ la-  
xant, & vanitati ac eloquentiæ sæcu-  
lari student, vt in sæcularium con-  
uersatione discretæ ac prudentes in-  
ueniantur, quibus cum Paulo ad Ga-  
latas 3. dicere possumus, Cum Spiritu  
caperitis, nunc carne consummemini?  
Vbi est antiqua illa obseruantia, vi-  
gili, & ieiunia crebra, quibus aliæ  
religiosæ ad virtutem & religionem  
excitabantur? Qui nutriebantur in  
croceis, amplexati sunt stercorea. Thre-

uorum 4.

**notum** 4. Inter regiam virtutis purpuram, generosum animum ad virtutem, inter disciplinas continuas, quibus diuinus amor manifestebatur? *Amplexati sunt stercora.* Conuersationes nempè leues, turpia colloquia, amatoria verba, spiritualis dilectionis velo circumtecta, epistolæ, &c. Adolescentibus etiam loquor, qui liberius vanis conuersationibus vacant, & mutuo conspectu delectantur, verba principis Apostolorum perpendant, vt, in quo periculo versentur, agnoscant. 2. Petri 2. *Iustum Loth oppressum a nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit, aspectu enim & auditu iustus erat habitans apud eos: qui de die in diem animam iusti iniquis operationibus cruciabant.* Vbi Apostolus Petrus honestatem iusti Loth iam senis, ad solam visus & auditus custodiam reuocat. Quid ergò de illis, qui nec sancti, nec tamè mutua colloquia & conspectum euitant, censendum est? *Exultauit infans in utero meo. Solare horologium nunquam cessat, quia interna acus magnetem tetigit, ratione cuius in fixam cæli stellam*

semper tendit. Hęc fixa stella Deus est, idèd noster animus, præcipuè si diuinæ prædestinationis magnetem tetigerit, nunquam quiescit vsque ad supræmæ beatitudinis consequutionem. *Fecisti nos Domine ad te, & inquirerum est cor nostrum, donec reuertamur ad te S. August.* Ita diuinus Baptista fixam stellam, quæ est lux vera illuminans omnem hominem uentem in hunc mundum, agnoscebat. *Exultauit in utero.* Continuo motu in ipsam tendit; Et duo isti planetæ, Christus & Ioannes se inuicem intentis luminibus conspexerunt, & conuenerunt. Astrologi referunt, quòd si aliquando duo planetæ beneuoli aspectus in cælo conueniant, & inter se coniungantur, mirabiles influentias in inferioribus causant. Hodiernâ luce duo planetæ iucundissimi aspectus inter se conuenère, diuinus nempè sol iustitiæ Christus, & matutina stella Baptista scilicet, felicissima & abundantissima gratiæ tempora nobis promittunt, &c.



DE PV-